

*L. i. c. 8. Hist. Eccles.* Petrus Faber *L. i. c. 8. p. 96. Semestr.* qui & hanc rationem addit, quod Crux habeatur pro signo religionis Christianæ. Ab eo tempore in Christiana gente usus istius supplicii sensim recessit, & supplicium furcæ seu patibuli introductum est, & quidem initio de arbore delinquentes suspenderunt, postea verò ubi jurisdictionis criminalis in feudum dari cœpit, tanquam signum jurisdictionis publicè patibula erecta sunt. Hinc (2) furcarum erectio est *signum meri imperii*, & denotat, ibi esse jurisdictionem criminalem, seu potestatem coercendi delicta capitaliter vel poena mortis. Nemo tamen propria autoritate furcas publicas erigere potest; ut proinde is, qui jurisdictione destitutus, patibulum ponit, Majestatis damnari queat. Speidelius in *Speculo. Voce Halgen. fol. 412.* Contra, quando quis investitus est de Jurisdictione criminali, etiamsi per centum annos nemo ultimô suppliciō afficiatur, tamen jurisdiction contra eum non prescribitur: cum haec potestas non possit exerceri, si casus delictorum non occurrant. Quando vero delinquens præsto est, ad sumendum de eo in publico loco supplicium, utique poterit dominus jurisdictionis isti executioni locum destinare, & in signum istius patibulum erigere. Accedit (3) Quod furcæ istæ erigantur: vel alia quædam loca ad exequendum supplicium criminale separentur ob publicam utilitatem, ut alii deterreantur a similibus delictis, & hoc propter suppliciorum memoriam. Vide Ludovic. Pegvera *Decis. 81. n. 2. p. 215.* Et ejusmodi furcæ seu patibula dici solent *Trophæa justitiae.* Zieriz. *ad h. artic. pag. 210.* Vide Besold. in *Thesauro Practico.* voce *Halgen. fol. 315.* Unde Maximilianus I. præteriens patibulum, nudato capite dixit: *Salve Justitia.*

Verum missis istis, ipsam Constitutionem paucis videbimus. Et I. *Quoniam sit officium Magistratus criminalis circa erectionem novi, vel reparationem antiqui patibuli, ut debito modo illud opus de novo struatur, vel saltem reficiatur.* (a) *Convocare omnes fabros lignarios.* Ubi considerandum (a) Quo tempore convocatio fieri debeat? nimirum, ut illa citatio fiat quatuordecim diebus ante, quam erectione patibuli fieri debeat. Quod spatium ideo constitutum est, ne postmodum de mora quadam vel angustia termini facultatem conquerendi habeant, sed cognitâ citationis causa, quid ipsis faciendum sit, inter se deliberare queant.

(b) *Quinam fabri sint convocandi?* Illi, qui sub ista jurisdictione habitant, ibique sunt subditi & qui pro mercede tractant artem fabriliem.